



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli
Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

Francisco <de Javier>

Romæ, 1667

Epistola VIII. Patri Francisco Perezio Societatis Iesv. Malacam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](#)

salutans: & quoniam à proposito eos juvan-
di non desistas , sperare illos jubens , te si
quo modo potueris , obstacula pijs tuis co-
natibus hactenus objecta , Deo juvante per-
rumpere , ad ipsos anno sequente perventu-
rum . Peto à te tuâ causâ Domine , ut Pa-
tres Nostros qui isthic sunt , frequenter visas .
quoniam confido , animi quæ te angit ægritu-
dinem , consuetudine ipsorum alloquijsque
minuendam . Iterum Vale .

Tuus verissimus Amicus .

Franciscus.

EPISTOLA VIII.

PATRI FRANCISCO PEREZIO
SOCIETATIS IESV.
MALACAM.

F Rancisce Perezi . Mando tibi in virtute
Sanctæ Obedientiæ ne post visas hasce
meas literas hæreas amplius Malacæ . sed
quamprimum poteris expediās te ad navigan-
dum in Indiam , utens ad id navibus proxi-
mâ motione soluturis . quod si post harum
disces-

624 S.FRANCISCI XAVERII

discessum acciperes hanc Epistolam, consen-
des navim quæ Choromandelo Cocinum ten-
dit: habitabisque Cocini, Ministerijs iisdem
Concionum, Confessionum, & Scholæ Ca-
techeticæ intentus, quibus exercebaris Mala-
cæ, Ordinem planè ac Methodum eam te-
nens, quam tibi scripto expressam, cùm
Malacâ in Iaponem solverem reliqui, aut si
quam loci diversitas mutationem posceret,
juxta formulam à me in scriptis traditam
Antonio Herediæ, cui volo te succedere
in curâ & gubernatione Collegij Cocinen-
sis. Ipsum autem Herediam, vel quemcum-
que alium post meum fortè discessum Coci-
nensi Domicilio quavis occasione Præposi-
tum, jubeo statim ab his literis, te monstran-
te, viis, conferre se Goam, & illic para-
tum expectare dum mittatur in Iaponiam.
Quo diē Cocinense Collegium intrabis, ex
eo die quicumque illic præfet abdicet Præ-
fecturam; tuque jure quām optimo illi sub-
rogatus, Rectoris autoritate gubernare Do-
mum illam incipias, subjectus tamen, quate-
nus præscripsi, potestati Rectoris Collegij San-
cti Pauli apud Goam. Ibi porrò, juxta Insti-
tutum Societatis & talenta tibi credita, pro-
viribüs incumbes in procurandam Dei Do-
mini



NOVARVM EPIST.Lib.7. 625

mini Nostri Gloriam , promovendis ad salu-
tem & perfectionem nostris pariter & exter-
nis . Hæc quamquam , & his plura majoraque ,
confidebam vos solâ meæ voluntatis indica-
tione sine morâ facturos : tamen ad majus
vestrum meritum , interpono vim potestatis
mihi traditæ ; ac tam tibi quām Herediæ , aut
cuivis alteri regenti Cocinensem Domum ,
in virtute Obedientiæ impero , ut quemad-
modum modò dixi , faciatis . ille videlicet
statim decedat regimine Domus , & primâ
quaque occasione Goam migret . tu ei Rector
succedas ; & tuæ potestati pareant , non solum
nostrî omnes Sacerdotes aut Laïci qui tunc
erant Cocini , sed etiam quicumque quavis
causâ illuc venerint , cujuscumque ordinis ,
gradus , dignitatîve fuerint . nisi si quem for-
tè Rector Goanus tuo exemptum imperio
certis de causis vellet . Et hoc omnes intelli-
gant à me sibi ex obedientiâ mandatum .
Tu egredi quāmprimùm ex Vrbe Malacâ ,
& capessere regimen Collegij Cocinensis ,
quod utrumque jubeo , ne omiseris . E Por-
tu Sancianensi xii. Kal. Novembris Anno
CICII.

Franciscus .

R R

EPI-

